

Capitulum Tertium ITER BEROLINUM INCIPIAT

Aemilius pileum scholasticum deposuit et dixit: » Bonum diem, domini dominaeque. Vacatne fortasse una sedes?«

Certe una sedes vacavit. Et domina crassa, quae se ab sinistro calceamento liberaverat, quia illud premebat, ad vicinum, virum, qui terribiliter anhelabat, dixit: »Tales liberi bene educati hodie rari sunt. Si meae iuventutis reminiscor, per deum! Tum alii mores regnabant.« Ita dicens digitos pedis in sinistra impilia rhythmice movit. Quod Aemilius curiose inspectavit. Et ille vir anhelatu vix annuere potuit.

Homines esse, qui semper dicant: Hercle, olim omnia meliora erant, Aemilius iam diu scivit. Et minime animum attendit, si quis dicebat olim aerem saniolem fuisse aut boves capita maiora habuisse. Nam hoc plerumque non verum erat, et isti homines tales erant, ut contenti esse nolint, quia aliter contenti essent.

Fundam iaccae dextram palpavit et tum demum, cum

pileum scholasticum n. = *Schulmütze*; **vacatne?** = *ist frei?*; **calceamentum, -i n.** = *Schuh*; **premebat** (*v. premere = drücken*); **anhelare** = *schnaufen; nach Luft schnappen*; **iuventus, iuventutis f.** = *Jugend*; **digitus pedis m.** = *Zeh*; **rhythmice Adv.** = *rhythmisch*; **aer, aeris m.** = *die Luft*; **bos, bovis m.** = *Rindvieh, Rind, Ochse*;